

sepultos conset; cum te nihil de futura domus tuae expilatione suspicari credit, in domum tuam ingreditur, et omnia quæ in ea sunt, diripit. Hoc prorsus modo ad homines venire solet mors, ad eos venit sicut fur in nocte, quia ad eos venit, dum securi quiescere putant, cum in peccatis dormiant, cumque nil minus, quam de morte cogitant. O quam fallax mors! O quam multos decipit!

Quod ut clarius et evidentius pateat, die, queso, quo anno, quo mense, quo die, et qua hora sis moriturus? Hæc omnia te latent: *Nescitis diem, neque horam* (Matth. 25, 12). Certum est, mortem ad te aliquo anno, et aliquo injus annimense venturam, sed quo anno, et quo mense veniet, ignoras. Certum est, eam aliqua hebdomada, aliquo ejus hebdomadæ die, et aliqua hujus diei hora venturam, dic autem, si scias, qua hebdomada, quo die, et qua hora veniet? Certe nescis diem, neque horam, quia mors ad te veniet *sicut fur in nocte*, quia, scilicet, hora non putabis. Quare cum nesciamus quo die et qua hora fallax mors ad nos venture sit; omni die, omnique hora vigilandum, ut eam expectemus, et ut ad eam nos disponamus: *Vigilate utique; quia nescitis diem, neque horam.*

Non sine mysterio voluit Deus mortis nostræ diem et horam nos latere; ut enim ait D. Augustinus: *Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.* Si mortis sua diem et horam nossent impii, omni vitiorum generi usque ad hunc diem, et in hanc horam facile indulgerent; ac usque ad ultimum vita finem penitentiam agere differerent, si mortis etiam sue diem et horam certo scirent justi, remissius forte virtutibus operibus incumberent. Quare mortis diem et horam latere voluit Deus, ut peccatores omni die et hora a vitiis abstineant, ut justi ferventius in perfectionis via ambulent, et ut tam justi quam peccatores omni die et tempore ad mortem se præparent: *Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.*

Si certo scires, hodiernum diem esse ultimum vita tue diem: si certus es, te intra jam labentis horæ tempus moriturum; magna haud dubie cum sollicitudine mox salutis tue negotio incumberes, statim aliena restituieres, et inimicis parceres:

ad prudentem statim et probum festinares Confessarium, cui omnia tua declares sceleris: illicitis omnibus protinus abrenuntiari volupitatibus, perpetrata criminis fusis lacrymis delere conareris, ac omnia vera penitentiae opera continuo susciperes. Hæc omnia procul dubio faceres, si scires hanc esse mortis tuae horam, sed eadem etiam nunc facere debes, cum te lateat, an haec sit mortis tua hora. Ideo enim voluit Deus, tibi ignorantem esse mortis tuae horam, ut qualibet hora ita salutis tue negotio incumbas, ac si ultima haec esset vita tue hora. *Horam ultimam idcirco voluit Deus nobis esse incognitam, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur* (S. Greg. hom. 3 in Evang.).

Omni ergo hora ad mortem te præpara, ac si haec ultima esset vita tua hora. Quotiescumque horas pulsans audis horologium, de imminente morte cogita, ac intus die: Hæc forsitan ultima erit vita mea hora: hæc forsitan hora ex hoc mundo exibo, meamque efflabo animam. Hoc intus die, et identidem tua detestare peccata; ac ad mortem te præpara, non secundum ac si protinus moriturum esesses. Hoc si facias, cum veniet Dominus, te vigilantem et præparatum inveniet, tibi que regni coelestis janua aperiet. *Amen.*

CONCIO VII.

DE EXTREMO JUDICIO

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaie 27, 9).

Sicut nil homini Christiano utilius, quam serio et sæpe formidanda Dei judicia meditari, ita nil exitiosus, quam judiciorum Dei oblivisci, nec de iis velle recordari. Ut enim ait sanctus Joannes Chrysostomus, qui judiciorum Dei meditationi

incumbunt, a peccatis facile declinant, et virtutes multas asso-
quuntur. *Judicium semper præ oculis habemus, et ita sem-
per virtuti vacare poterimus.* Sed e contra, qui Dei judicia
a mente sua auferunt, multis se peccatis inquinant, et in iis
semper perseverant. *Inquinatæ sunt vix illius in omni
tempore; auferuntur judicia tua a facie ejus* (Psal. 9).
Quod ita certum creditur D. Augustinus, ut asserset, repro-
bationis et damnationis hominum causam non aliam esse, quam
oblivionem terribilium Dei judiciorum. *Puto quod omnis per-
ditionis causa inter Christianos sit, metum ac memoriam
futuri perdidisse judicii.* Addit sanctus Pater, quod peccata
in seipsis destruere non possint, et absque omni remedio sint
peccatores, qui judiciorum Dei non recordantur. *Irremediabile
periculum est, sic aliquem vitiis ac cupiditatibus fræna
lazare, ut se rationem Deo redditum non meminerit.*
Quare cum in votis habeam, peccata mundi tollere, de formi-
dandis Dei judicis hodie dicam, ac ut peccatores ad destruenda
in seipsis peccata alliciam, terribile illud sacrificium, quod in
extremo judicio de peccatoribus fiet, tota hac concione deli-
neare conabor. *Ave.*

In omni sacrificio Sacerdos aliquis, aliqua victima et mors
aliqua esse solent. In omni sacrificio est Sacerdos, qui Media-
toris Deum inter et homines fungitur officio, imo et qui plus
ab hominum, quam a Dei partibus stare videtur: ut enim ait
D. Paulus, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro
hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat
dona et sacrificia* (Hebr. 5). In quolibet etiam sacrificio est qua-
dam victima, quæ Deo offertur ad eum honorandum et placan-
dum. Et ideo in veteri Testamento Deo sacrificabantur solum
animalia munda, ut haec victimæ aptiores essent ad illum hono-
randum, et ad illius iram mitigandam. *Animal quod immo-
lari potest Domino, sanctum erit* (Levit. 27, 9). In omni
tandem sacrificio mors interveniat necesse est, ut enim ait Do-
ctor Angelicus, victima occidi et quasi annihilari debet, *in
testimonium supremi domini, quod Deus habet supra omnes
creaturas.*

Venite jam omnes, ad vallem Josaphat saltem mente et spi-
ritu properate, ut formidandum sacrificium, quod ibi in die
judicii fiet, attente contemplmini. In hoc quidem sacrificio,
sicut et in aliis, erunt Sacerdos, victima, et mors; *Christus*
erit Sacerdos, *peccatores* erunt victima, *eorumque pena erit*
mors. Sed omnia in hoc sacrificio formidanda et terribilia erunt,
terribilis erit Sacerdos, terribilis erit victima, terribilis erit mors.
Christus erit Sacerdos terribilis, quia pro peccatoribus non
stabat, sed de iis se vindicabit. *Peccatores* erunt victima ter-
ribilis, quia Deum non placabunt, sed magis irritabunt. *Mors,*
qui addicentur, erit terribilis, et omni alia morte terribilior,
quia eos ita occidet, ut semper ad penam vivi remaneant. O
quam terrible hoc sacrificium, in quo erit: 1. *Sacerdos*, qui
se vindicabit; 2. *Victima*, que irritabit; 3. *Mors*, que non
trucidabit.

I PARS.

*In extremi judicii sacrificio Christus erit Sacerdos,
qui se vindicabit.*

Christus Dominus, qui in primo suo in hunc mundum adventu
vilibus paucis indutus fuit, in secundo suo adventu, seu in
extremi judicii die omnium oculis apparebit, pontificalibus in-
dutus vestibus, nec non ut *Sacerdos exornatus podere, et
mitra, et cydara munda* (Tert. advers. Jud. c. ultimo). Sed
Christus, qui in hoc mundo Sacerdos fuit peccatoribus ita pro-
pitius, ut pro iis in sacrificium se Patri obtulerit, in extremi
judicii die erit Sacerdos terribilis, qui de iis se vindicabit.
Tunc enim, ut ait Tertullianus, Christus erit Sacerdos gladio
armatus. *Accingere ensim tuum circa femur tuum potens
tempestivitate* (Ib.). Tunc etiam gladium hunc, quo armatus erit,
e vagina educet, eumque in conspectu peccatorum excuet. *Si
acuero ut fulgur gladium meum.* Ac tandem tum di-
stricto gladio, in peccatores sœviet, et de iis vindictam

sumet. *Si acero ut fulgor gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam* (Deut. 32, 41). Quamdui in hoc mundo vivunt peccatores, sclera eorum Christus dissimulat, erga eos se semper misericordem exhibet; toties iis parcit, quoties eos peccatorum poenitit; eos ad ipsum venientes semper benigne recipit. Sed in die iudicii non iis favebit Christus, nec in eos quomodocunque misericors erit, quin contra tunc terribilis Sacerdotis personam geret, qui de peccatoribus ita se vindicabit, ut sol et luna præ timore deficiant: *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum* (Matth. 24, 29). Tanta tunc illius in peccatores erit vindicta, ut ipse coeli columna, et ipsi Angeli terrore concutiantur. *Virutes celorum commovebuntur* (Ibid.). Ita portentosa ejus in peccatores erit ultio ut peccatores præ timore arescant, *arescentibus hominibus præ timore* (Luc. 21, 24). O terribilem Sacerdotem! o inexplicabilem ultionem, quis eam explicare queat!

*Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicit, aut possit lacrymis aquare dolorem?
(Virg. lib. 4, Aeneid.).*

Sanctissimus Propheta Jeremias, ut aliquam Christi summi Sacerdotis, de peccatoribus se in die iudicii vindicantis, ideam mentibus nostris ingerat, ait diem iudicii fore ultionis diem, in quo Christus de peccatoribus vindictam sumet: *Dies autem ille Domini Dei exercitum, dies ultionis, ut vindictam sumat de inimicis suis* (46, 10). Omnes Christi in hoc mundo versantis dies fuere dies gratiae et misericordie; sed asserit Jeremias extremi iudicii diem fore diem ultionis Christi, in quo de peccatoribus vindictam sumet. Tunc enim, inquit, ut Christus de peccatoribus se omnino vindicet, districto illo gladio, quem dextera gestabit, ita gravior illos percutiet, ut gladius ille quasi voratur sit carnes illorum, ac eorum sanguine saturandus et inebriadus: *Devorabit gladius, et saturabitur, et inebrabitur sanguine eorum.*

Olim Dei gladius in celo inebriatus est, cum rebelles An-

gelos inde Deus expulit, et deturbavit: *Inebriatus est in celo gladius meus* (Isai. 34, 5). Sed in extremi iudicii die vorax ille gladius de celo descendet, et in peccatores irruit: *Ecce super Idumeam descendet, et super populum interfectionis mea* (Ibid.). Gladius tandem hic ad Christi dexteram veniet, ac impiorum adipe et sanguine saginabitur: *Gladius Domini repletus est sanguine; incrassatus est adipe et sanguine agnorum et hircorum.* Hic erit dies vindictae Domini, in quo Christus gladio suo percutiet agnos et hircos, seu plebejos et magnates, ac omnes peccatores disperdet: *Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te* (Eccli. 5, 9).

Sed ut clarius pateat, quam severe Christus summus Sacerdos, peccatores in die iudicii puniet, quamque terribilis futura sit ultio, quam de iis sumet, non attendendus sollemniter gladius ille devorans, quo armatus in eos saeviat, sed ponderandum insuper qua pompa, quoque apparatu adversus illos incedet. Ut enim loquitur Sapiens, *Accipiet armaturam zelus illius, induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutum inexpugnabile, aequitatem* (Sap. 5, 18). Adversus peccatores in die iudicii accusatores adstabunt demones, testes aderunt Custodes Angelorum; Christus vero in justitiae sue throno sedebit, tamquam Sacerdos armatus, *accipiet armaturam zelus illius.* Sacerdos hic, in throno suo sedens, caput geret ferreum respectu peccatorum; sacrumque ejus caput, quod pro eorum salute spinea corona redimitum fuerat, tunc galea armabitur, *accipiet pro galea iudicium certum.* Divinum ejus pectus, quod pro peccatorum salute lancea aperatum fuerat, tunc induetur thorax: ut iis declararet viscera sua respectu eorum ferreas et æneas esse, *induet pro thorace justitiam.* Manus tandem ejus, que tot beneficis peccatores afficerunt, ensibus et sentis instructis apparebunt, *sumet scutum inexpugnabile aequitatem.* O formidandum Sacerdotem, qui hoc apparatu in peccatores insurget, in eos saeviet, immaterialiter eos percutiet, ac ita horrendam de iis stragam faciet, ut volucres coeli, et bestias terræ sit advocatus, ad hoc ut de mactatis horum carnibus saturentur. *Dic omni volucri, et*

*universis avibus, cunctisque bestiis agri, convenite, prope-
rate, concurrete undique ad victimam meam, quam ego im-
molo vobis, victimam grandem* (Ezech. 39, 17). Nec credas,
tunc Christum haec omnia egre facturum, quin contra ei haec
omnia voluptati erunt, et quasi consolationem percipiet ex vin-
dicta, quam de peccatoribus sumet. *Heu! consolabor super
hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis* (Isai. 1, 24).
O quale spectaculum, Christi sub Sacerdotis habitu, de pecca-
toribus se vindicant. *Quale spectaculum, in proximo est
adventus Domini, jam indubitatus, jam superbis, jam trium-
phantis!* (Tert. *De spec.*, c. 10).

Grande sane hoc erit spectaculum. Nec mirum, cum extremi
iudicii dies sit *magnus dies Domini et terribilis valde*; quia
tunc veniet in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, et tunc
sedebit super sedem majestatis sue. Et non solum extremi iu-
dicii dies erit magnus dies Domini, sed erit dies Domini magnus,
et *terribilis valde*, quia hac die non solum apparebit in ma-
jestate sua, sed etiam in peccatores saret, et de iis modo
quodam terribili se vindicabit. Ac, ut loquitur sacra scri-
ptura, de iis se cindicans vindicabit. Terreni Principes,
omni quidem tempore in scelestos capitalia iudicia exerceri
curant; nonnunquam tamen jussu illorum sit extraordinarius
quidam electorum Judicium consensus; seu, ut in Gallia loqui-
mur, *tenentur magni dies* (1) in quibusdam regni provinciis;
tuncque justitia tanto cum rigore exercetur, ut etiam ve-
tusta et quasi obliterata quevis sclera in ius vocentur. Tunc
aliqui ad fureas, ad tritemes alii, ad perpetuum carcerem isti,
et illi ad ignis penas damnantur. Tunc fugiunt multi, trepidant
omnes; pavor undique, undique tremor, quia tunc fit iudicium sine
misericordia; nec ulli eujusvis criminis conscientia paritet. Unde
tunc reges non solum se vindicant, sed etiam modo extraordi-
nario et quasi multipliciter se vindicant, ac se vindicantes vindicant.
Quid simile et in infinitum terribilis extremi iudicii die
fiet. Quamdiu enim peccatores in hoc mundo morantur, Deus

(1) Seculo, quo floruit auctor, sc. initio sec. XVIII, usu veniebant hi magni
consensus: hodie vix eorum extat memoria in historiis.

interdum eos morbis, honorum jactura, vel aliis afflictionibus
plectit, et tunc non vindicans, sed amans de iis se vindicat,
quia eos plectit, ut eos convertat et salvet. At extremi iudicii
dies erit *magnus dies Domini, et terribilis valde*, quia tunc
Christus apparebit in majestate sua, Angelis spiritibus stip-
atus, armatus, iratus, et in peccatores seviens; tunc omnia eorum
crimina discutiet; tunc omnia severa puniet; tunc vin-
dictam sumet de blasphemis, perjuris, gulosis, luxuriosis, aliquisque
omnibus peccatoribus. Et sive reges illi sint, sive rustici, sive
magni, sive parvi de iis modo terribili et insolito se vindicabit,
ac se vindicantis vindicabit.

O quam terribilia erunt hec Dei iudicia! quam horrendum
tunc erit incidere in manus Dei viventis! quam severe tunc
de peccatoribus se Christus vindicabit! Sed quanto tunc timore,
et terrore non afficiuntur peccatores? Heu! si tunc non sine
magno timore futuri sint justi; quantus tunc impiorum timor
est futurus? Si fortissimae tunc trement columnae; quomodo
fragillissima subsistent tuguria? si concutient codri; virgulta
quomodo immobilia perseverabunt? Quid ergo facient tabernae,
si trement columnae, aut quomodo virgulta immobilia sta-
bunt, si huius pavoris turbine etiam cedri quatentur? (S. Greg. 24 Mor.). Certe tunc peccatores timore et terrore
concutient plusquam a nobis dici et concepi possit.

Olim Hebrei noblebant ut ipsis loqueretur Deus, quia timebant,
ne mox morerentur, si eum loquentem audirent. *Perterriti, ac
pavore concussi steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere
tu vobis, et audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne
forte moriamur* (Exod. 20, 19). Heu! si Hebrei timebant
audire Deum loquentem eo tempore, quo in eos erat benignissi-
mus, et quo nonnisi cum suavitate loquebatur, quanto ti-
more afficiuntur peccatores in die iudicii; cum Christus non
solum adversus eos loqueretur, sed et in eos irascetur, ac de iis
modo terribili ulciscetur. *Si Hebrei neque cum consolatione
valuerunt sufferre adventum ejus; quid obsecro facturi su-
mus, quando in furore, et in ira intolerabili descendet?* (S. Eph. Syrus). Hoc serio perpendite peccatores, hoc saep-

mente revolvite, ac in vobis peccata destruite, ut securi apparetis in extremo iudicio, in quo Christus erit Sacerdos qui se vindicabit: *et in quo peccatores erunt victima, quae Christum irritabit.*

II PARS.

*In extremi iudicij sacrificio peccatores erunt victima,
quae irritabit.*

Quamdiu in sœculo vivunt peccatores, Deum placare, iram ejus mitigare, justitiam illius sistere, eumque ad misericordiam flectere possunt. Sed mox ut mortui fuerint, temporis gratiae et misericordiae non erit amplius, non amplius in eos se benignum et misericordem exhibebit in Christus; sed tunc severus erit Judex, qui in eos sævit, et qui omni cum libertate de iis se vindicabit. *Deus ultionum libere aget.* Dum in sœculo morantur peccatores, Dei justitia sistitur, et quasi ligatur; *tum ab ejus misericordia, que peccatoribus semper est propitia; tum a Beatissima Virgine Maria, que eorum est advocata; tum ab aliis Sanctis, qui pro illis intercedunt; tum ab ipsis peccatoribus, qui Deum nonnunquam ad misericordiam flecenti.* Ast in die iudicij Christus summa cum libertate in peccatores sævit, tunc *Deus ultionum libere aget;* quia tunc Maria, Angeli et Sancti pro peccatoribus non stabunt, et quia tunc Dei iram coërcere non valebunt peccatores. Quin contra præsentia sua magis irritabunt Christum Judicem, qui cum coram se videbit ingratos peccatores, qui manda ejus violaverunt, sanguinem ejus conculcaverunt, Sacraenta profanaverunt, et gratias abjecerunt, in eos magis exardescet. Et sicut magis sævit, et irritabat Rhinoceros, cum ei objicitur sanguis, et ita et Christus in die iudicij tunc magis irascetur, et irritabitur, cum ei sistentur peccatores, divino illo tincti sanguine, quem profanarunt et toties conculcaverunt.

Homines ex hoc mundo migrantes, sua solum opera secum aufe-

runt, *opera enim illorum sequuntur illos* (Apoc. 14). Justi secum portant virtutes, quibus adhæserunt: peccatores vero iniquitates deferunt, ad quas declinaverunt. *Unusquisque, inquit D. Paulus, onus suum portabit,* onus justorum ex variis humilitatis, patientie, charitatis, aliarumque virtutum actibus erit compactum; et onus impiorum ex usuris, blasphemis, impudicitiis, aliisque sceleribus erit compositum. Cum autem Christus justos variis virtutibus onustos et exornatos videbit, benigne eos recipiet, illi gratulabitur, eos laudabit et præmiabit: sed cum peccatores ei se sistent, grave et proborum Babylonis, seu peccatorum suorum onus portantes, a facie et a præsenti illorum magis accendetur ira ejus. Et ideo iratus, et ab illorum præsenti irritatus, in eos acrius insurget, iisque sclera que perpetrarunt objiciet. *Superbis* dicet, ecce qui me privare voluerunt gloria mea. *Avaris* dicet, ecce qui toties me vendiderunt; quique et se et heredes suos diabolo tradidierunt, ut divitias congregarent, et ideo jam dæmonibus æternum cruciandi tradentur. *Gulosis et luxuriosis* dicet, ecce qui delicias et corporis sui voluntates plus dilexerunt, quam meipsum, et ideo quantum in deliciis fuerunt, tantum jam dabitus illis de tormentis. Cuique tandem peccatori cuncta que perpetravit sclera coram omnibus exprobabit, eosque omnes æternis ignibus adjudicabit.

Cum Moyses de monte descendens, vidit vitulum aureum, quem Israelites sibi fecerant, ut adorarent illum, ita in eos iratus est, ut Tabulas Legis, quas deferbat, projecerit; ac vitulum igne absumperit, et in cinerem redegerit. *Vidit vitulum, iratusque valde, projecit de manu Tabulas, et confregit eas, arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit;* et contrivit usque ad pulvrem (Exod. 32, 19). Heu! si Moyses, qui erat vir mitissimus super omnes homines (Num. 12, 3), ita iratus est, cum idolum illud ab Israélitis conflatum vidit, quanta in die iudicij erit Christi Salvatoris ira, cum ei se sistent peccatores, portantes idola quae fabricaverunt? quantus ejus erit furor, cum ei objicietur avarus idolo cupiditatum suarum onustus? quantum irritabitur, cum videbit luxuriosum libidinum

surarum idolo oneratum, et alios omnes peccatores criminum suorum idola deferentes? Tunc videbit, et irascetur, tunc impiorum praesentia ita irritabitur, ut non sit qui coram illo stare, et ira ejus impotum sustinere valeat. *Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et quis resistet in ira furoris ejus?* (Nah. 1, 6). Cum principi, jam ira succenso, sistitur scelestus quidam homo, qui ei necem machinatur fuerat, tunc scelerosi illius praesentia eum magis ad iram provocat: et qui antea iratus erat, tunc magis irascitur. Extremi autem judicii dies, erit dies ultionum Christi, in quo iracundia concitatus, vindictam sumet de inimicis suis: *Deus avenger, et ulciscens Dominus, et habens furem: ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis* (Ib., v. 2). Sed tunc magis irascetur, et irritabitur Christus, cum ei sistentur peccatores, qui aduersus illum insurrexerunt, qui suis illum criminibus offenduerunt, et qui quantum in ipsis fuit, violentas ei manus intulerunt. Tunc adversus illos ita irritabitur, et exacerbabitur, ut mallent in inferno latere, quam in ejus praesentia remanere, et illum iratum videre: *Quorum gloria in inferno est.*

Quarant nonnulli Doctores, quid in extremo Judicio magis formidandum? quod ex judicio illius signis et suppliciis terribilium erit et intolerabilium? Anne portentosus hic solis et lunae defectus, qui tunc fiet? Non. Anne caligo et tenebra, quibus omnia offenduntur? Non. Anne ignis ille vorans, qui ante Christi faciem ibit? Nequaquam. Quid ergo? forte elementorum omnium confusio, orbis universi incendium, mare bulliens, vel stellae de celo cadentes? Nequaquam. Sed tunc supplicium omnium gravissimum erit, videre Christum a peccatorum praesentia irritatum. Hoc erit tormentum ipsa gehenna gravius: et ideo optabunt cito in infernum mitti: sequi felices arbitrarentur, si a Christi praesentia tolli, et in mediis inferni flammis latere possent. Quare quisque illorum gemens dicit: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* (Job. 14, 13).

O peccatores, cum in extremi judicii die ante Tribunal Christi stabitis, eum placare optabis: sed vana tunc erunt vota ve-

stra, quia præsentia vestra eum tunc magis et magis irritabit. Quare facite nunc, quod tunc agere non valebitis. Christum nunc placie, nunc vobis eum propitium reddite, ut in die judicii in vos hand irascatur. Nunc Christus placatur hostiis, placatur elemosynis; sed placatur præcipue penitentiæ: quare ut futuram Christi iram evadere possitis, nunc vacate penitentiæ operibus. *Quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructum dignum penitentiae* (Math. 3, 7). Ut futuram Christi iram declinetis, eumque in extremo Judicio propitium habeatis, non sunt solum facienda penitentiæ folia, penitentia non est solum agenda exterius et apparenter, sed facienda vere, sincere, et ita perfecte, ut vobis utilis sit et fructuosa. Penitentia est quasi quedam arbor mystica, cuius *radix* est contritus cordis, *rami* opera bona, *medulla* confessio integra, *fructus* satisfactionis pena. Ille autem facit penitentiam, sed non fructus, qui dolet tantum de commissis; ille agit penitentiam et fructus, sed non dignos, qui et dolet et in parte satisfacit. Ille autem, ut ait Hugo Cardinalis, facit dignos penitentiæ fructus, *qui tantum affligitur per penam, quantum deliquit per culpan.* Ne ergo solum faciat penitentiæ folia, sed veram penitentiam et veros agito penitentiæ fructus, ut Christum propitium habeatis in die judicii, in quo peccatores erunt victima, que illum irritabit, et *pœna illorum erit mors, que illos non trucidabit.*

III PARS.

In extremi judicii sacrificio pœna peccatoris erit mors, que illos non trucidabit.

Ezechiel Propheta imperavit Deus ut populo nuntiaret, se gladium suum exacusset et limasse: *Gladius excutus est, et limatus: ut cedat victimas, excutus est: ut splendeat, limatus est* (Ezech. 21, 9). Christus Dominus, qui in extremi judicii die Sacerdotis personam geret, horrendum tunc faciet sacrificium, in

quo peccatores erunt infelix victima, ad quam jugulandam et cedendum suum ipse exacutum gladium: *ut cœdat victimas, excutus est.* Sed, ut ait Propheta, gladium suum Christus non solum exacutum, verum et limatus, ut illum in oculis harum victimarum jam occisarum splendere faciat: *ut splendeat, limatus est.* Quomodo haec victima, jam mortua splendens Christi se vindicantis gladium videre poterunt? Eum videbunt: quia gladius hic ita peccatoribus mortem inferet, ut eos adhuc vivos relinquit; eos ita occidet, ut adhuc vivant et videant.

Quod præclare docuit idem Propheta, dicens, quod Christus peccatores gladio suo percutiens, multiplicabit ictus: *duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic est gladius occasionis magnæ* (Ib., v. 14). Christus ter, quater, centies has victimas gladio suo feriet: et licet quilibet ictus sit lethifer, nunquam tamen morientur. Primus ictus erit lethalis; peccatoribus tamen vitam non auferet: secundus ictus erit mortalis; eos tamen vita superstites relinquet: tertius, quartus, quintus, et quilibet ex his ictibus eos caedit ad mortem; nunquam tamen morientur: continue lethiferi perentur ictibus et nullus ex his ictibus eos e vivis auferit: ultimas tandem semper patientes morientium angustias, et nunquam morientur: ac *his miseris erit mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu* (Aug. lib. *De spir. et litt.*). Heu! quam durum, quam intolerabile est semper mori, et nunquam moriendum esse! Non potest, inquit Augustinus, cuiquam peius accidere, quam quod crudelis mortis poena indesinenter patiatur, et tamen nunquam pereat; sed semper moriens, semper vivat: *Nunquam homini erit pejus in morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte.* Hec est sava illa mors, quam in die judicii preferent peccatores: poena eorum erit mors, que illos non trucidabit: *miseris erit mors sine morte.*

Nonnullus ex antiquis Philosophis eos irridebat, qui mortem timebant: eamque nullo modo timendam dicebat: qui actissime transit; nec cum morientibus aliquamdiu remanet: *esset timenda, si tecum esse posset.* Parum quidem timenda mors illa temporalis, quam in hoc mundo patimur; quia unico so-

lum momento nobiscum est: sed timenda plurimum mors illa, quam in die judicii preferent peccatores; quia haec cum illis semper remanebit. Haec nunquam transit, sed semper cum iis erit: morientur semper, et nunquam mortui, penitusque extincti erunt. Mors eorum non transitoria, sed fixa erit et permanens: *infelix sunt gentes in interitu, quem fecerunt.* Mortem iis ita infliget, et alligabit Christus, ut ab iis divelli, et separari nunquam possint: continuo morte ferientur? et tamen nunquam mori et totaliter extingui perentur: eterna morte morientur, inquit Augustinus; et tamen haec mors illos non trucidabit; sed eos ita vivos relinquit, ut nec moriendo potestatem habeant. *Infelicitas in eternum morte sine moriendo potestate durabunt.* Mortuos magnos et parvos vidit sanctus Joannes Evangelista. *Vidi mortuos magnos et pusilos* (Apoc. 20, 12). Sciant omnes mortem esse solummodo vitæ privationem; que privatio consistit in indivisiibili: nec enim unus mortuus vita magis privatur, quam aliis. Cur ergo ait dilectus Christi discipulus, se magnos et parvos vidisse mortuos? Ratio est, quia in mortibus mortuos alios dicimus magnos, et alios parvos. Cum enim homo in statu gratiae mortuus est, hic parvus est mortuus: imo quasi non est mortuus; quia mors ejus est solummodo quasi somnus dulcis, et quasi transitus ad vitam eternam. Sed cum in statu mortalis peccati moriuntur, hi sunt magni mortui; quia non solum in hoc mundo moriuntur, verum et in extremi judicii die eternæ morti sunt adjudicandi. Tunc eis infligetur et infigetur mors acerba et dolorosa, que semper eos feriet, nec unquam trucidabit. Tunc falcam suam ab his mors nunquam retrahet, sed ictus omni hora iterando, eternas adferet agonias; tunc semper morientur impii, nec unquam moriendo potestatem habebunt; quia mors illos nunquam penitus trucidabit. *Infelicitas in eterna morte sine moriendo potestate durabunt.*

Idem sanctus Evangelista ait, quod qui de mundo, de propriis passionibus, et de peccato triumpharint, non morientur morte secunda: *Qui vicerit non lœdetur morte secunda* (Ap. 2, 2). Quae est illa mors secunda, quam non patientur justi, qui de virtutis, et

peccato in hoc mundo triumpharint? Haec haud dubie est illa mors, quam Job *reginam* vocat, et *calcet super eum, quasi rex, interitus.* Est quedam mors *regina*, et quedam mors *non regina*; mors, qua in hoc mundo perferimus, quia velocissime transit, non est regina, nec regnat super nos; sed mors *secunda*; seu mors illa, qua in die judicij plectentur peccatores, erit mors *regina*; quia in aeternum super eos regnabit, semperque hac morte morientur, nec tamen unquam trucidabuntur. Vel, ut ait S. Bernardus, haec morte semper morientur; ita tamen ut semper vivi remaneant, *semper morientur ad vitam, et semper vivent ad mortem.* O quam terribilis illa mors, qua nunquam trucidat! quid intolerabilius illa morte, cuius conflictus est perpetuus, cuius tormenta carent termino, cujus dilacerationes, et contorsiones non habent metu? Si crudelem, saevam, et intolerabilem vocamus mortem nostram, quae mox transit; quid sentiendum de hac morte, quae semper occidendo torquet, vel potius, quae semper torquendo nunquam interficit? *Quid gravius immortalitate miserabilis?* inquit D. Ambrosius? seu, quid gravius, quam semper mori, et in continuo morte semper vivere, nec unquam trucidari? Certe nil gravius videtur. Quare quisque ita vivere debet, ut in extremi Judicij die hac morte non percutiatur.

Vidisti formidandum hoc sacrificium, in quo Christus erit Sacerdos, qui se vindicabit, *peccatores* erunt victimæ, quæ Deum irritabit; et *pœna* eorum erit mors, quæ non trucidabit. At non satis est, sacrificium hoc nosse, et pertimescere; verum summo studio vigilandum et laborandum fortiter, ut terrible hoc sacrificium devitetur. Ut autem horrendum hoc sacrificium quisque peccator declinare valeat, aliud in hoc mundo sacrificium Deo offerre debet, nempe penitentiae sacrificium. *Sacrificium sacrificium justitiae* (Ps. 4, 6), inquit Prophetæ. *Sacrificium justitiae* est sacrificium penitentiae, quia justum et æquissimum est, ut peccator, qui pluries Deum offendit, justitia ejus per penitentiam satisficiat. Et ideo hoc verae penitentiae sacrificium quisque peccator Deo in hoc mundo of-

ferre debet, ut tremendum extremi judicij sacrificium declinare valeat.

Omnis peccatores se apud Deum in die judicij excusare conabuntur, ut terrible illud sacrificium devitent: sed solum penitentiae sacrificium in hoc mundo oblatum, tunc Deum placare, et peccatores excusare poterit. Optima excusatio, et potissima eorum apologia erit penitentiae sacrificium, si illud Deo in hoc mundo obtulerint: *Penitentia apologia magna hominis peccatoris* (Tertull.). Ut se excusat *ebriosus*, dicet: in ebrietatibus usque ad mortem perseveravi; quia a sociis, a pravo affectu, et ab inveterato habitu alluctus fui: sed haec non erit legitima ejus apologia. *Luxuriosus* dicet: corrupta caro me ad feda inclinavit, innata propensio me attraxit, et occasio proxima, in quam infelicer incurri, me taliter illaqueavit; sed haec non vera ejus erit apologia. *Avarus*, qui aliena inique detinuit, dicet: a statu meo deficere nolui; durum mihi fuit id restituere, quod diu possederam; pigrit me filios ad oestegatum redigere; sed haec ejus non erit apologia. Sola hominis peccatoris apologia erit penitentiae sacrificium, si ante mortem Deo obtulerit: *Penitentia apologia magna hominis peccatoris.* Si hoc penitentiae sacrificium in hoc mundo Deo obtulerint peccatores, cum in tremendi judicij die dicet eis Christus: hoc et illud peccatum perpetrasti, respondere poterunt: hoc quidem verum; sed penitentiam egimus. Cum dicet eis Christus: luxuria, gula, et alii multis vitiis indulsisisti; respondere poterunt: hoc verum est; sed ante mortem penitentiam egimus. Ecce eorum apologiam: ecce sacrificium, quod Deum placabit: quare penitentiam agite; per penitentiam omnia mortalia in vobis destrucitio; et hoc sacrificium vos a formidando ultimi judicij sacrificio preservabit; vobisque gratiam in hoc mundo et aeternam beatitudinem in alio obtinebit. Amen.

CONCIO VIII.

DE INFERNI SUPPLICIS.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaiae 27, 9).

Timere, an amare, quid homini ad salutem utilius, penitus ignoro. Non me latet, Dei amorem (si verus sit) amorem mundi excludere, de virtutis omnibus triumphare, et ad perfectionis apicem perducere. Sed Dei amor adjungi debet timor illius; quia qui non timet, nimia sui confidentia et occulta quadam præsumptione in gravia nonnunquam cadit sclera, a quibus non facile surgit, si sancto Dei timore non stimuletur, et ad penitentiam suscipiendam non excitetur. Quamobrem Spiritus Sanctus, qui amoris precepta hominibus tradidit, ad sanctum timorem eos invitat, eosque beatos declarat, quorum cordibus semper infixus est Dei timor. *Beatus homo, qui semper est pavidus* (Prov. 28, 14.). Ob eandem etiam rationem Christus, qui in hunc mundum venit, ut homines ad sui amorem alliciat, eos crebro territat, dum jam mortis horam imminere monet, jam terribilia extremi judicii signa proponit, et jam intolerabilia inferni supplicia iis minatur. Sanctum hunc timorem peccatorum cordibus inferre pertentavimus in præcedentibus et ultimis duabus concionibus, dum de morte et extremo judicio conciones instituimus. Sed ut altius peccatorum cordibus hic timor infligatur; utque eos ad destruenda in semetipsis peccata efficiamus, de formidandis inferni suppliciis ista erit concio. *Ave.*

Hujus mundi vita exilium est, peregrinatio est, miseria est, et miseriarum abyssus; nec enim quis in hoc mundo vivit, qui multis non repleatur miseriis. *Homo natus de malicie, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* (Job. 14, 1).

Concio VIII — De inferni suppliciis

107

O quam infelix haec hominum in hoc mundo viventium sors! *Nullus* tamen eorum ita in hoc mundo miser, ut pati cogatur omnia ponarum genera absque ulla exceptione, absque ulla consolatione, et absque ullo fructu. *Nullus* in hoc mundo omnia absque ulla exceptione ponarum et dolorum genera patitur, nec pati potest; quia corpora nostra doloribus cedunt; et cum quis vel unico gravi afficitur supplicio, mox moritur et deficit. *Nullus* etiam in hoc mundo ita miser ut omni penitus solatio caret: quia aut parentes, aut amicos, aut seipsum, aut Deum consolatores quisque habet. *Nullus* tandem ita obcaecatus, ita obdurus, et a Deo ita derelictus, ut aliquem fructum ex doloribus, quos patitur, percipere non valeat, si celestibus non abutatur gratis, que nulli desunt, et quarum auxilio freti aeternam beatitudinem semper mereri possumus.

Ast longe aliis est reproborum status in inferno. Ibi enim non aliquibus dumtaxat, sed omnibus addicuntur miseriis: ibi omnia perfurunt supplicia; ibique omnes patiuntur dolores sine ulla exceptione, sine ulla consolatione, et sine ullo fructu. Dammati in inferno patiuntur: 1. *Omnes dolores*, sine ulla exceptione: 2. *Omnes dolores*, sine ulla consolatione: 3. *Omnes dolores*, sine ullo fructu.

I PARS.

*Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores
sine ulla exceptione.*

Due civitates sunt: una in regno aeterno, alia in igne aeterno. Sicut autem Sancti, qui in celesti civitate triumphant, omnibus perfruuntur bonis: ita reprobi, qui in inferni civitate cruciantur, omnia patiuntur mala, omni suppliciorum genere torquentur, omnesque dolores perfurunt. De homine enim reprobo asserit Job, quod in inferno non hos solum, aut illos, sed omnes patietur dolores; qui non pedentim, et successive, sed omnes simul in eum irruunt: *omnis dolor irruet super eum* (Job. 20, 22).

Mente revolve omnes dolores, quos perferunt qui podagra, qui dysenteria, qui calculo, qui hemicrania, qui alvi cruciatibus, aliisque gravioribus morbis torquentur: recogita quoscumque dolores, quos a mundi primordio perpessi sunt Martyres igne cremati, flagellis cesi, in oleum fervens injecti, oleo liquato perfusi, pectinibus ferreis dilaniati, aliisque suppliciis torti: animo versa, et in unicum fasciculum collige quidquid terribilium in primi peccata Deus hominibus intulit, quidquid crudelitatis inhumani et barbari tyranni infideles adinvenerunt, et quidquid saevitiae in mortales induxerunt tartarei spiritus. Mensis tue oculis haec omnia objice; et certus esto, quod haec omnia supplicia, omnesque hi dolores in damnatos irruunt: quia, ut praefata Jobi verba exponit Hugo Cardinalis: *in damnatos irruet cruciatus aeternus, qui omnes hujus mundi dolores virtualiter continet, et in immensum superat.* O quam infelices reprobi, in quos omnis dolor irruit! Imo, ut ait Chrysostomus, in eos non solum irruent omnes hujus mundi dolores, verum et longe maiores: quia omnia supplicia, quae unquam in hoc mundo perpessi sunt homines, si cum reproborum suppliciis conferantur, non supplicia, sed quaedam sollemmodo suppliciorum umbra, et figura sunt: *Pone ferrum, ignem et bestias, et si quid his difficilius: attamen nec umbra sunt haec ad illa tormenta.* Addit. S. Hieronymus, quod in damnatos irruent omnes hujus mundi dolores, quia tot et tantis addicentur suppliciis, ut omnia, que in hoc mundo unquam passi sunt homines, quasi nihil sint, nec reproborum suppliciis valeant comparari: *omnia mala, quae veteribus historiis continentur, aut inundatione maris, aut alluvione fluminum, aut pestilentia, morbis, fame, bestiis, hostium vastitate hominibus acciderunt, his suppliciis non poterunt comparari.*

Sed ut facilius quisque sibi suadeat, quod omnes dolores in inferno perpessuri sint reprobi, velim, ut quisque mente revolverat, quid et qualis sit inferni locus, quem sic describit Petrus Damianus: regio gehennalis, regio dura, regio extrema scenda, terra afflictionis, terra oblivionis, terra miseriarum,

terra tenebrarum, terra turbinis et caliginis, terra maledictionis et mortis, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Totus tremo ad memoriam regionis illius, et concussa sunt omnia ossa mea. Illic est ignis qui non extinguitur, vermis qui non moritur: ibi frigus horrendum: ibi fœtor intollerabilis exoritur: ibi percutientes mallei resonant incessanter, et offusse tenebre cumulatus condensatur. Illic confusio peccatorum, horribilis facies demonum, inextricabilium vinculorum fertilis multitudo: ibi fletus et stridor dentium, planetus et genitus: ibi alternantia mala impios sine pietate discerpunt. O infelicem regionem, in qua impi nihil gustant præter amaritudines; nil vident nisi tenebras, nil audiunt nisi planctus, nil aliud olefaciunt quam fœtores, nihilque sentiunt præter tormenta! O terram infortunatam, in qua dolores multitudine sunt infiniti, intensio acerbissimi, varietate, diversi duratione perpetui. Pensate nunc, quos et quales dolores in inferno patientur reprobi: certe non ibi hos, aut illos dumtaxat, sed omnes penitus dolores perferunt: *omnis dolor irruet super eum.* Quod et ipse Deus ore Moysis asserit formidandis hisce verbis: *Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis* (Deut. 32). Quasi dicat: quamdiu peccatores morantur in seculo, nimia mea abutuntur clementia, justitiae meae minas irrident, concionatorum et confessiorum monita spernunt, leges meas impudenter violant, pro eorum salute instituta Sacraenta profanant, et plurima super se peccata aggregant: ego vero super eos in inferno congregabo omnia supplicia, omnes miserias, omnesque penitus dolores: *congregabo super eos mala.*

Plitorius Reipublicæ Thebanorum senator vigilantissimus, advertens multis et gravissimis vitiiis plerosque cives scatere, eosque ob nimiam judicem indulgentiam licentius vivere, suppliciis multis illos ad meliorem vita frugem adducere excoxitavit: propterea rotarum, securum, asciarum, novacularum et aliorum instrumentorum ad torturam et alia tormenta inferenda integrum struem coram aliis senatoribus et populo concessit, per hoc iis indicens, non amplius indulgentia et

insana dissimulatione, sed rigore, et severitate utendum ad tollendas civium inordinationes, eorumque extirpanda sceleria. Deus similiter, videns impios sua in hoc saeculo abuti patientia, alterna iis minatur supplicia: et si hi, antequam moriantur, licentiori vita metas non ponant, omnia mala, omnesque dolores in inferno super illos congregabit: ac in eos tot vibrabit tela, tot plagas, totque calamitates immitet, ut suam videatur pharetram exhaustire; nec aliud aliquod ei supereesse supplicium, cui inferendo manum admoveere possit: *Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis.*

Oeto suppliciorum genera, quibus antiquitus plectebantur rei, recenset Augustinus; videlicet *damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, servitutem, mortem.* In inferno autem reprobis his omnibus torquentur suppliciis. Ibi enim gravissimam patiuntur danni poenam, cum in eternum priventur visione Dei: qua poena nulla est gravior. Ibi etiam talionis infligitur poena, quae est supplicii quedam paritas reciproca: et ideo quia Deum ignoraverunt, ab eo ignorabuntur; et quia misericordes non fuerint, misericordiam non consequentur. Ibi tanta affieciuntur ignominia, ut ad eam vitandam destrui et annihilari cupiant. Durissimi exili poenas haud dubie lunt, cum a Paradisi gloria exulent, nec in locum inferno horribiliorem ablegari queant. Taceo servitutem illorum, quia nulla durior excogitari potest, cum tartarearum potestatum dominationi subsint. Vinculis etiam adamantini ab Omnipotentis dextera in inferno ligati detinuntur. Durissima quoque patiuntur verbera: nam a daemonibus, non flagellorum solum, sed et maleorum ictibus caeduntur: *Mallei persecutientes stultorum corporibus* (Pro. 19, 29). In inferno tandem impii mortem obeunt, non quidem temporalem, sed aeternam: *Supplicium mortis ibidem erit, sed mortis aeterna* (August. in Psal. 32). Ac proinde omnia mala, omnia supplicia, et omnes dolores super impios in inferno congregantur. De quo non dubitat qui avarum divitem clamantem audiit et dicentem, infernum esse *locum tormentorum* (Luc. 16, 28). Dici quidem potest infernum esse *locum tormentorum*

rum; quia immanciiores quique carceres, foetidiores quamcumque cloaca, et quavis alia loca, quantumvis horrenda, respectu inferni, sunt loca deliciarum. Sed infernum est etiam locus tormentorum, quia ibi est centrum et congregatio omnium suppliciorum et dolorum. In mente revoca omnia mala, omnes afflictiones, omnesque dolores, quos patiuntur mortales bello, fame, morbis, inundationibus, naufragiis, incendiis, fortunae luisibus, facultatum tactura, exiliis, incarcerationibus, et cunctis hujus vitae calamitatibus; haec omnia in unum collige, et certus esto, infernum esse *locum tormentorum*; quia in eo damnati haec et alia supplicia: imo et omnes mundi hujus dolores, ac etiam longe graviores perferunt.

O qualem locum, *in quo innumera sunt paenarum genera!* O quam infelices, qui in locum hunc praescipitantur! Sed, o quam stulti, qui tot supplicia, totque dolores declinare non satagent? Heu! si temporales, et transitoriae tribulationes tanta sollicitudine quisque in hoc mundo evadere conatur: cur tot et tanta inferni supplicia summo studio devitare quisque non sataget; cur totius conatus quisque non laborabit ad declinandos tot dolores, quos in inferno damnati perferunt?

O homo, si Christianus sis, credere debes multa et magna esse inferni supplicia; si credas, timebis: si timeas, cavebis; ut enim ait D. Bernardus: *Qui pacet caret, qui negligit incidit.* Crede ergo, ut timeas: time, ut caveas: cave, ut in infernum non incidas: ubi damnati omnia perferunt supplicia, omnesque patiuntur dolores sine ulla exceptione: *ac etiam sine ulla consolatione.*

II PARS.

*Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores,
sine ulla consolacione.*

In celo est gaudium purum quod omnem fugat tristitiam; sanitas que omnem morbum excludit, scientia que nullum pa-

titur errorem, opulentia qua omnem tollit egestatem, consolatio qua nulla turbatur afflictione; et ut loquitur Guillelmus Parisiensis: *Hic locus puræ felicitatis nihil habet, quod non addat felicitati.* Sic autem in celo sunt omnia bona pura sine ulla permixtione mali, ita in inferno sunt omnia mala pura, quae omne bonum, omnisque boni speciem excludunt. Ibi enim patientur reprobi tyrannidem daemonom, siti incommoda, famis ratione, ignis ardores, diros vermis rodentis morsus, gravem ignominiam, summam paupertatem, omnesque penitus dolores et afflictiones sine ullo levamento; quia ut subdit præfatus Antistes: *Hic locus puræ misericordie nihil habet, quod non addat misericordiam.*

O quam infelices reprobi, qui talia in inferno perpessuri sunt! Sed longe adhuc maiorem eorum censembit miseriam, qui advertit, eos tot inter supplicia et afflictiones omni careve solatio, nullamque sive a Deo, sive ab Angelis, sive ab hominibus consolationem percipere. Ut enim ait Augustinus: *In inferno sunt gemitus et suspiria, et non est qui misereatur: ibi est dolor, et planctus, et clamor, et non est qui consoletur.*

Gravissima licet Christus, Passionis sue tempore, tormenta passus sit: licet tunc a discipulis sit derelictus, illusus ab Herode, ab impiis flagellatus, et a Judaeis crucifixus; non omni tamen tunc destitutus est consolacione: nam angelus descendit de celo confortans eum; filia Jerusalem amare super eum flevit; innocentiam ejus predicavit latro; centurio cum Dei Filium esse testatus est: ac ab ejus doloribus Maria Mater, aliaeque pie mulieres plurimum commotae sunt. At quilibet reprobus omnia in inferno patietur mala, omniumque afflictionum pondere opprimetur: *invenient cum omnia mala et afflictiones* (Deut. 31, 17). Quilibet omnia, que in hoc mundo experimur, patietur tormenta, et longe graviora, nec aliqua ei unquam ex ulla parte adveniet consolatio: *Ibi dolor, et planctus, et clamor, et non est qui consoletur.* Hoc patet in divite epulone, qui quidem omnia in inferno patitur tormenta, sed nec unicam aquæ guttulam obtinere potest. Infelix ille avarus, in mediis inferni flammis sepultus, ad Patrem

Abraham clamat, ac ab eo supplex petit, ut Lazarum mittat, qui unica aquæ stilla suam refrigeret lingnam: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret lingnam meam, quia crucior in hac flamma* (Luc. 16, 24). Ab inferni ignibus eripi non petit dives, non refrigerans postulat balnum, cui immagratur; sed unicam solummodo aquæ guttulam; sed madente solum digito linguam suam attingi. O quam parvum hoc levamentum homini qui in media tartari fornaco cruciatur! O quam levis haec consolatio! Et tamen levissimum hoc solatium ei Deus demegat, dicens, consolaciones deberi, non illi, qui divitiis et illicitis deliciis in mundo abudarunt, sed Lazarus, qui gravia in mundo passus erat: *Fili recordare, quia receperisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris* (Ibid. v. 3, 5). Heu! nimis misera, et infelix inhumani hujus divitis sors? Hic, dum in sæculo viveret, byssu induebatur et purpura, laute et splendide quotidie epulabatur, ac omni temporalium voluptatum genere fruebatur: post mortem vero hic in inferno sepelitur, ubi in medio flammarum decumbens, fame, siti, igni vim, et gravissima quævis patitur supplicia; nec in mediis tormentis vel minimam consolacionem impetrare potest.

En, o impie, quod tibi accidet, si ante mortem non convertaris ad Dominum; hic delicatis dapibus, vinoque exquisito vosci queris; illic fame et siti perpetua laborabis: hic molle lecto decubere delectaris; illic in mediis flammis aeternum voluntaberis: seurilles et impudicas cantilenas hic audire tibi placet; illic perpetuos damnatorum gemitus et planctus indesinenter audies: hic vix ferre potes quid aliquantulum maleolens; illic omnium immunditiarum factorem spirabis; hic vel minimum in uno ex dentibus dolorem agre fers; illic omnium dolorum pondus in toto corpore sustinebis, hic omnibus appetitis satiari deliciis; illic omnibus cruciaberis suppliciis. Tunque cum avaro epulone clamabis, et nullus exaudiens; clamabis, nec minima tibi dabitor consolatio; sed gemens, in aeternum dices: *Consolatio abscondita est ab oculis meis* (Osee 13, 34).

Et revera si aliquod in inferno solatium perciperent reprobi;

aut a Deo, aut ab Angelis, aut a Sanctis, aut a sociis: *aut a Deo*, qui est Deus totius consolationis: *aut ab Angelis*, qui ad hominum custodiam et consolacionem delegari solent: *aut a Sanctis*, qui in hoc mundo afflictorum consolatores extiterunt, et quorum charitas perseverat in celis: *aut a sociis*, quia consolatio miserorum est habere pares. At nullum penitus nec a Deo nec ab Angelis, nec a Sanctis, nec a sociis solatium accipient. Non quidem a Deo; qui licet mortalibus sit *Deus totius consolationis* (2. Cor. 1, 3): nullam tamen existentibus in inferno dabit consolationem qui e contra eos irridebit: *Tu Domine deridebis eos* (Psal. 58, 9). Et tantum abest, quod eos consoletur, quin contra justitiae suae ministris præcipiet, ut illos omni suppliciorum genere in aeternum crucient. O quam durum erit reprobis, nullum a Deo percipere solatum! *Sed nec aliquam etiam ab Angelis habebunt consolationem.* In inferno enim summe afflita est cuiusque reprobri anima, *et non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus* (Thren. 1, 2), id est, ut exponit Doctor Seraphicus, *ex omnibus Angelis*, qui hominum sunt amici. Si unus ex Angelis alicui ex damnatis diceret: ad te a Deo missus sum, ut nuntiarum, te tractactis centum millionibus annorum ex inferno egressurum; aliquam ei conferret consolationem. Si diceret ei: annuntio tibi ex parte Dei, te ex tartaro exiturum transactis tot annorum millionibus, quot sunt aquarum guttae in Oceano, et arenæ grana in toto mundo; aliquid ei consolationis afferret. Sed ne hoc, nec aliquid quodque solatium damnatis dabunt Angeli: *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.*

Sed forte Sancti, qui charitatis officia hominibus impendere soliti sunt, a damnatorum miseriis commovebuntur, iisque compatiuntur? Nequaquam. Quin contra, ad vindictam de iis summendam Deum incitabunt, dicentes: *De illis secundum opera eorum et secundum nequitiam adinventionum ipsorum* (Psal. 27, 4). Cum civitatem Jerosolymitanam vastarent Babylonii, afflictos Jerosolymitanos non solum non consolabantur Idumæi; sed et Babylonios ad civitatem hanc totaliter diruendam exercitabant, clamantes: *Exinanite, exinanite usque ad funda-*

mentum in ea (Psal. 136, 7). Sancti similiter qui in celo regnant, tantum abest, ut damnatis compatiantur, iisque aliquod solatium afferant; quin contra, *lætabitur justus, cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris* (Psal. 57, 10). Tunc quidem lætabuntur Sancti, ac a Deo postulabunt, ut impios quam dirissime plectat.

Unde ergo damnatis adveniet consolatio? Forsan ab uxore, a filiis, ab amicis, et ab aliis in supplicio sociis? Nequaquam. Quia licet in seculo solatium sit miseris, sociis habere ponnum; non tamen in inferno: ut enim ait Doctor Angelicus, *ibi miserorum societas miseriam non minuet, sed augebit.* Ibi filia augebit matris tormentum; ibi pater aggravabit filiorum crucias: ibi quilibet damnatus a sociorum presentia magis torquebitur. Quare cum nec a Deo, nec ab Angelis, nec a Sanctis, nec a sociis aliquod sint percepti solatium, fatendum, quod in mediis suppliciis omni carebunt consolazione. O quam durum, miseris et suppliciis opprimi, omnique itidem privari solatio! Quid acerbius, ait Poeta, quam quod quis dira semper patiatur, nec ullum unquam habeat consolatorem? Quid intolerabilius, quam quod semper crucieris,

*Sisque miser semper, nec sis miserabilis ulti,
Gaudete adversis femina, virque tuis?*

Sanctissimo viro Job, in fineto decumbenti, nil durius fuit, quam quod in mediis miseris quas patiebatur, non solum non eum consolaretur mulier, verum et ei illudret. Sed, o quam durius damnatis, omnia omnis generis supplicia perpeti, nec ullum usquam vel minimum percipere solatum. O peccator, cum aliqua laboras infirmitate, vel quid triste tibi accidit, mox te circumdant amici et propinquai, ut tibi solatium ingerant, eorumque visitatione non parum tua leuiuntur mala: *quia laborantis visitatio est laboris sublevatio* (S. Greg. 5 Mor. 3). Sed in inferno nullum unquam nec a Deo, nec a creaturis solatium recipies omni semper ibi suppliciorum genere cruciaberis, et omni semper carebis solatio. Hoc serio perpende, ac totis conatus labora, ut post

mortem non mittaris in infernum, ubi damnati omnia patiuntur supplicia absque ulla consolatione; ac *etiam absque ullo fructu.*

III PARS.

*Reprobi in inferno omnes patiuntur dolores
sine ullo fructu.*

Si ex doloribus et penis, quas in inferno perferunt, aliquod emolumenitum perciperent reprobi, aliqui etiam iis adveniret consolatio. Sed, ut ait Doctor Seraphicus, licet damnati omnia patientur suppliciorum genera, nullum tamen ex iis fructum, nullamque eliciunt utilitatem; quia *pene infernales inutiles sunt, et infructuose.* Ac ita illis sunt infructuose, inquit idem Doctor, ut quamvis aliquis ex damnatis in mediis tormentis lacrymarum torrentes funderet, nil ad salutem hoc ei prodesset. Frustra rigatur arbor, quae mortua est: fructus enim nunquam producit, quamvis supra ejus radices fluminum omnium fundantur aquæ. Idem dicendum censem D. Bonaventura de homine peccatore, qui quidem dum in seculo vivit, fructus æternæ gloriae dignos producere potest, si veræ penitentiae lacrymas fundat: sed postquam mortuus est, omnia supplicia quae in inferno patitur, et omnes lacrymas quas fundit, nil ei ad salutem inseruent, nullumque ei fructum et emolumenitum aferunt, quia *damnatorum pœna est longissima, et infructuosa.*

Dicere solent impii: Edamus et bibamus, coronemus nos rosis, hujus vitæ fruamur bonis; et quādiū in hoc mundo vivimus, omni deliciarum generi adhæreamus. Vitam austeraam, inquiunt, amplectantur solitarii; eminentioribus virtutibus assequendis incumbant viri religiosi: nos autem gaudeamus in hoc seculo, et de his quæ in alio mundo flunt, non caremus nec solliciti simus. Non sic loquitur D. Paulus; sed omnes penitus homines invitati ad bona opera facienda, dum in seculo vivunt: *Dum tempus habemus, operemur bonum* (Gal. 6, 11). Multæ quidem rationes nos allicere debent ad bona opera in hoc

mundo facienda: sed si a dilecto Discipulo quæramus, cur bonis operibus agendis in hoc mundo incumbere debeamus, respondebit: quia a Deo missus Angelus juravit post mortem nullum amplius fore tempus faciendi opera bona, fructuosa, et ad salutem utilia. *Juravit per viventem in saecula saeculorum, qui creavit cœlum, et ea quæ in eo sunt, et terram, et ea quæ in ea sunt, et mare, et ea quæ in eo sunt: quia tempus non erit amplius* (Apoc. 10, 2). O peccator, quādiū in hoc mundo moraris, unica lacryma e corde contrito prodiens, omnes tartari rogos tibi extinguere valet; junicum vere penitentie momentum æternum gloriae pondus operari et immensos gloriae coelestis fructus tibi producere potest. Sed post mortem inutiles erunt tuæ passiones, infructuose erunt omnia tua opera, nullumque unquam ex iis fructum, utilitatem nullam percipies: *quia tempus non erit amplius.*

Solutus erat Alexander Magnus, postquam urbem aliquam copiis circumcederat, facem in excelso quodam loco accendere, ita ut ab ob sessis facile cerni posset: deinde pacem, amicitiamque suam iis offerebat, modo tamen ei se subderent, dum fax illa arderet: qua extincta, et consumpta, nullum amplius eis veniæ locum concedebat. Eodem autem modo se gerere videtur Deus erga peccatores: quādiū enim in hoc mundo morantur, et quādiū mortalis hujus vite fax iis illucet, vitam et pacem æternam illis offert, modo penitentiam agant, modo se iis sponte subdant, et bonis operibus vident. Sed si vita suæ faciem extingui exceptent, nullum eis dabit veniæ locum; nec pati, aut operari aliquid poterunt, quod iis utile sit ad salutem, et quo ab inferni suppliciis liberari mereantur. Et ideo asserit Sapiens, vacuam fore damnatorum spem, nullumque eos ex laboribus, passionibus, et operibus suis fructum percepturos: *Vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum* (Sap. 3, 11). Sperent, si possint, ex inferno egredi et ad Paradisum perduciri, spes illorum vana semper et vacua erit; quia hæc supplicia, et opera eorum sunt infructuosa. Quid prodest Judæ, a sexdecim saeculis inferni tormenta pertulisse? Nihil. Quid prodest iis, qui a mundi primordio da-

mmati sunt, jam a quinque, vel a sex mille annis in mediis tari
tari fornacibus arsisse? Nihil. Quidquid faciant, et quidquid
patientur damnati, hoc illis inutile et infructuosum, nec ullam
unquam ex passionibus suis utilitate accipiunt, *labores sine
fructu, et inutilia opera eorum*. Quando quis ex damnatis in-
fernī supplicia ad centum annos perpessus est, hoc pro nihilo
habetur: cum ea ad mille annos passus est, hoc pro nihilo
computatur: cum ad centum mille annos, et ad mille annorum
milliones ea pertulit, id pro nihilo reputatur: quia omnes dam-
natorum poena steriles, inutiles, et ita eis sunt infructuosae,
ut nec vel minimum quid valeat ad eos inde liberandos, et
ad aeternam salutem promerendam: *Labores sine fructu, et
inutilia opera eorum.*

Ab omnibus Jurisperitis lex illa recipitur, quod debitor
nummis adulterinis liberari, suaque debita solvere nequeat:
Reprobi nummi non liberant solventem. Peccatores autem,
quandiu in statu peccati remanent, justitiae divinae sunt de-
bitores; habentque in hoc mundo monetam bonam, qua illi
satisficiant; penitentiam, scilicet, et bona opera: sed si in
hoc mundo ei non satisficerint, in inferno ei satisfacere ne-
quibunt. Ibi enim omnes eorum passiones, omnes gemitus, et
omnia opera erunt nummi reprobi, et adulterini, quos Deus
in satisfactionem non recipiet, et qui omnino inutiles et in-
fructiosi erant. Et ideo hortatur nos Salomon, ut in hoc
mundo bonis operibus sedulo incumbamus: quia, scilicet, in
inferno nulla poena, nullum opus, nullaque est scientia, que
ad salutem utilis sit et fructuosa: *Quodcumque facere potest
manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio,
nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu pro-
peras* (Eccl. 9, 10). O peccator, dum tempus bene operandi
habes, instanter et sedulo bonis operibus incumbe. Ne dicas:
juvenis sum: nondum penitendi tempus advenit: cum inse-
nuero, me totum penitentiae, et piis omnium virtutum exerci-
tiis consecrabo: Ne sic loquaris, et ne tardes converti ad Do-
minum: quia si subitanea morte preoccuperis, ad tartara
precipitaberis, ubi omnia perferes supplicia, *omnia sine ulla*

exceptione: *omnia sine ulla consolatione: omnia sine ulla
fructu.*

Heu! clamat D. Augustinus, *quam lugenda perversitas, ut
animam, quam Christus suo sanguine redemit, luxuriosus
quisque propter unius momenti delectationem diabolo vendat?*
Sed, heu! quam lugendi, non solum luxuriosi, verum et avari,
superbi, helluones, blasphemi, aliquie omnes peccatores, qui
pro modico lucro, aut pro momentanea voluptate animæ suæ
jacturam faciunt, et inferno digni flunt; ubi omnes dolores,
omnis generis supplicia absque ulla exceptione, consolatione,
et fructu perferunt!

O peccator, quonodo tot et tanta inferni tormenta portare
poteris? Si intolerabilem nunc censes podagræ, dentium, vel
calculi dolorem; quid facies in inferno ubi omnis dolor super-
te irruit? Si, cum doloribus plurimis lancinaris, noctem, quam
insomnem ducis, anno integro longioris arbitraris, quonodo
remanere poteris in inferno, ubi omnem penitutis dolorum vim,
non unica nocte, sed in aeternum absque ulla consolatione pa-
tieris? Si tandem graves diu pati non potes dolores, nisi aliquod
levamentum adveniat; quonodo te habebis in inferno, ubi
aeternos perferes cruciatus, nec aliquem ex iis fructum, vel
minimum quodque levamentum unquam recipies? Tunc in
te ipsum irasceris, tunc amare flebis, dentibusque tuis fremes
et tabesces: *Peccator videbit, et trascetur, dentibus suis
fremet et tabescet* (Psal. 111, 10). Tunc optares, penitentiam
egisse, mortificationi adhaesisse, et pie vixisse; sed vana et
inutilia erunt tua haec desideria, *desiderium peccatorum pe-
ribit.* Igitur fac nunc, quod tunc fecisse velles; penitentiam
age, peccata in temetipso destrue, virtutes sectare et in Dei
gratia usque ad mortem persevera. Hoc si facias, inferni sup-
plicia vitabis, aeternaque Paradisi gaudia obtinebis. Amen.

CONCIO IX.

DE DIVINA GRATIA.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaiae 27, 9).

Quamdiu in hoc mundo vivit homo (si non sit in gratia confirmatus), est mutabilis a gratia ad peccatum, et a peccato ad gratiam. In eo tamen diversimode fiunt haec mutationes; nam, ut a statu gratiae ad peccati statum transeat, supernaturali Dei auxilio non eget; sed ut a statu peccati ad gratiam et sanctitatis statum transire, nec non ad Deum converti valeat, gratia actualis auxilio indiget, sine quo nil supernaturale operari potest: *ut in peccatum iret, sufficit ei liberum arbitrium, quo seipsum pitiavit; ut autem redeat ad justitiam, opus habet Medico, quoniam sanus non est; opus habet vivificatore, quia mortuus est* (August. lib. De nat. et grat., c. 23).

Quotidiana docet experientia, res etiam inanimatas propriæ inclinationis pondere absque ullo extraneo auxilio ad nativam redire temperiem: et sic aqua ab igne calefacta, semoto igne ex semetipsa nativum resumit frigus. Sed homo, in peccatum lapsus, propriis viribus, et sine supernaturali gratia actualis auxilio ad Deum converti, et ad pristinum gratiae sanctificantis statum redire nequit; quia gratia actualis est medium absolute necessarium, ut homo in seipso peccatum destruat, et ad Deum convertatur: *non potest homo esse liber dominante peccato, nisi Filius illum liberaverit* (August. lib. I c. Julian). De gratia actuali, quæ est medium ad peccati destructionem absolute necessarium, ista institutetur concio, Ave.

Gratia actualis est donum Dei, motus Dei, auxilium Dei. Gratia est donum Dei pietosissimum, cuius minimus gradus tantum est pretii, ut terrestria omnia pretio suo longe superet: *bonum gratiae unius majus est, quam bonum to-*

tius universi (D. Tho. I, 2, q. 113, art. 6). Gratia est etiam motus Dei, et sacer impulsus, sine quo a peccatis surgere, et ad Deum trahi nequimus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (Joan. 6). Gratia tandem est auxilium celeste, sine quo nil supernaturale, nilque meritorum agere possumus: *sine me nihil potestis facere* (Joan. 15). Si autem gratia est donum pretiosissimum, cur illud a Deo onixe non postulabimus? Si gratia est sacer motus, quo ad Deum trahimur, cui ei resistemus? Si gratia est auxilium potentissimum, eur ei non cooperabimur? Gratia quidem est donum, quod petendum; est motus, cui non resistendum; est auxilium, cui cooperandum. Oportet ergo 1. gratiam petere: 2. gratiae non resistere: 3. gratiae cooperari.

I PARS.

Oportet gratiam a Deo petere.

Fingunt Poeta, Mydam aurum cupidissimum a diis suis petuisse ut quidquid in regno suo nasceretur e terra probatissimum aurum esset. Votis ejus innuerunt dii; cumque jam omnis terræ partus aurum esset, ingens oborta est famæ; tuncque stolidissimam petitionem fuisse novit; et ut loquitur Ovidius,

*Attonitus novitate mali, divesque, miserque
Effugere optat opes, et que modo coverat odit.*

Multi similiter vana, inutilia, imo et noxia a Deo postulant. Aliquis in oratione petit lucra, temporalem dignitatem postulat alius uxorem alius querit: iste longiorem vitam sibi dari rogat, ille corporis valetudinem; hic orat, ut merces securæ ad portum appellant; alter, ut pinguis ad ipsum perveniat hæreditas; alius, ut pace tandem firmata, mercatura vigeat; et ut loquitur S. Ambrosius: *Plerumque in oratione avarus de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore. Verum audiamus eundem Ambrosium dicentem; Noli orare pro*